

cedæmonis etiam Hyacynthina memorantur Philostrato in vita Polemonis Sophistæ.

Μαντινείαν. Hinc emendanda est Farnesiana ubi ΔΙΑΝΤΙΝΕΙΑΝ, quod nihil omnino significat, occurrit. Doctissimus Petrus Faber ΔΙΑΝΤΙΝΟΙΑ ibi voluit substitui, Certamina nempe Antinoi sacra. Sed vocabuli sono deceptus est. Rem ipsam tamen plane tetigit. Vide eum Agonistici lib. 3. cap. 27. Certissimum est ΜΑΝΤΙΝΕΙΑΝ pro ΔΙΑΝΤΙΝΕΙΑΝ legi oportere. Mantineæ quinquennale certamen in Antinoi honorem ab Adriano institutum est. Hoc Αντινόειον seu ἀγών Αντινοῦ dictum. Etenim patria Antinoi Bithynia erat. Bithyni autem ex Arcadibus ipsisque Mantiniensibus oriundi. Inde erat quod Mantineæ parentalia ejus annua haberi & sacrum Certamen quinquennale voluit Adrianus. Ita Pausanias in Arcadicis, τῶν πᾶν ἐνεκεν, inquit, ὁ Βασιλεὺς κατεπέθετο ἀπὸ καὶ ἐκ Μαντινέων πύξιν. Καὶ τελετὴ τε καὶ ἐπέω ἐκείνων καὶ ἀγῶν ἔστιν ἀπὸς Ἀφεί ἐτους πέμπτου. Atque hæc sunt Αντινόεια apud Gruterum pag. 317. n. 1.

Θεμαπικός. Id quod præmii loco dabatur victoribus, seu bravium, δέμα dictum est. Nam certamina, obscuriora forsitan compluria, præmia præter exstimationem, puto, alia non habuere, adeoque θεματικά minime fuere. Θέμα hoc sensu non semel legitur in Oraculis Sibyllinis. Omnes autem agones quibus præmia erant cujuscunque generis nominatim proposita, θεμαπικοί erant. In iis aliquot duntaxat σεφανικά seu Coronarii. Et ut à σεφάνω σεφανειπής & σεφανιπής dicebatur, ita à δέματι θεμαπής & θεματειπής, pro eo quod est Θεμαπικός. Nec tamen θεματειπής alibi quam in Columna Farnesiana reperissè me memini. Perὶ θεμαπικῶν aliter Grammatici plerunque. Videtis Julium Pollucem sub extremum, lib. 3. Favorinum, id genus alios. Sed nemo melius de hac re quam Petrus Faber in Agonistico lib. 2. cap. 9. & lib. 3. cap. 13. Adde Scaligerum de Emendatione, lib. 5. pag. 446. Quæ ad hoc Marmor, exceptâ Pariochâ, quam de Barbillæis addidimus, uti & quæ ad primum Marmor, exceptâ Seleuci vitâ, annotantur, omnia sunt Seldeni.